

www.e-rara.ch

Catecheses extemporaneae in quinque capita doctrinae christianae

Geiger, Mauritius

Typis Monasterij S. Galli, 1722

Stiftsbibliothek St. Gallen

Shelf Mark: SGST 13160

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-102646>

Catechesis prooemialis I. Quid dicendus sit christianus, [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CATECHESIS

PROEMIALIS I.

Quis dicendus sit Christianus atque Catholicus ?

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. *Ad quem à Deo creati sumus ?*
2. *Quomodo potiri nobis licet Beatitudine æternâ ?*
3. *Quam ergò tu profiteris fidem ?*
4. *Quisnam dicendus est Christianus atque Catholicus ?*
5. *Quenam ergò distinctè requiruntur ad Christianum atque Catholicum ?*
6. *Sed num propterea bonus quoq; erit Christianus atque Catholicus ?*

MISCELLANEA.

Unde nomen Christianum ?

Unde nomen Catholicum ?

An Hæretici sunt Christiani ?

Q. I.
Ad quem
finem
creati su-
mus ?

Quæstio Prima : Ad quem finem à Deo creati sumus ?

R. Ut post hanc vitam temporalem Deus beatitudinem nobis conferret sempiternam.

Ut inquam , in illa DEUS infinitam suam ostenderet atque exerceret erga nos bonitatem & misericordiam , alioquin à quo

quo diceretur infinitè potens, bonus (secundùm hominem loquor) si non esset, in quo, & cui omnipotentiam & bonitatem suam probaret? Unde script: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. 16. v. 4.* Quasi diceretur, in hominum creatione finem alium DEUS non habuit, quàm Beatitudinem illorum æternam, ut per ordinata quædam Cultûs & Amoris Divini media ad ipsum ceu Principium & finem suum tendant, tandemque perveniant.

In Redemptione hominum finem alium Christus non habuit, quàm eorundem salutem æternam, ideò incarnatus, crucifixus & mortuus, ut per merita sua debita solveret hominum, vinctisque eriperet Dæmonum, & cælestem promereretur Beatitudinem.

In Justificatione & sanctificatione hominum quotidiana finem alium non habet Spiritus Sanctus, quàm ut ijs conferat gratias à Christo promeritas, remissionem peccatorum, fidem, spem, & charitatem, aliâque dona supernaturalia, sicque Cœlestis hæreditatis, à qua per peccatum exciderant, reddat capaces, ubi in Dei lumine videant Deum; ubi in coacervatione bonorum omnium, in gaudio & lætitia, luce & requie beata, in gloria
San-

Sanctorum fulgeant sicut sol , & sicut splendor firmamenti in perpetuas æternitates, Angelis per omnia æquales. Præclarus sanè finis (Charissimi) de quo & Paulus : Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus ijs, qui diligunt illum. *1. Cor. 2. v. 9.* Et S. Augustinus : Fide non capitur, spe non tangitur, charitate non apprehenditur, quæ Deus præparavit amanti- bus se, acquiri potest, æstimari non potest. *l. 24. de Civit.* Adeò nullo hætenus sensu, nullo intellectu, nullâ revelatione, nullâ fide, nullâ spe plenè concipi potest ille finis noster, illa gloria Cœlestis, margarita illa pretiosa, denarius ille diurnus, thesaurus absconditus, hæreditas æterna, corona gloriæ, præmium & bravium, Nuptiæ Cœlestes, cœna magna, verbo, Deus ille merces nostra magna nimis.

Ut non immeritò contestatur S. Francis- cus : Tanta est gloria, quam exspecto, ut in ejus comparatione me omnis tribu- latio & pressura delectet. *Chron. Min. l. 51.* Et David : Satiabor, cum apparuerit gloria tua. *Psal. 16. v. ult.* Melior est dies una in atrijs tuis super millia. *Psal. 83. v. 10.*

Quod si autem, Charissimi, ad hæc au- dita inardescit animus, jamque cupit assi- stere, ubi se sperat sine fine gaudere,
quod

quod si eadem nobis mens, quæ Philippo Macedonum Regi, qui oblatâ in effigie urbe magnificâ Athenarum, juravit: aur Marte aut arte civitas hæc nostra erit; quod si acti Davidis æstu ingeminemus: Desiderat anima mea ad Deum vivum *Psal. 41. v. 2.* Et, quando apparebo? *Psal. 41. v. 3.* Si denique anxio spiritu, viam, certumque & securum eò penetrandi medium inquiramus, sit

Quæstio Secundâ: *Quomodo igitur nobis*

eternâ hâc Beatitudine potiri licet?

*Q. II.
Quomo-
do Beati-
tudine
Potiri li-
cet.*

*R. Per veram fidem in Deum, divinâque Myſteria, & per legitimum ejus cultum, aliâ-
que bonorum operum exercitia.*

De priori ipſemet Salvator ait: Hæc eſt vita æterna, ut cognoscant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum. *Joan. 17. v. 3.* De altero: Servi-
mus illi in ſanctitate & juſtitia coram ipſo omni tempore. *Luc. 1. v. 74.* Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in Juſtitia & ſanctitate. *Eph. 4. v. 24.*

Sed à quonam hæc infallibiliter doce-
mur Chariſſimi? Nonniſi à vera antiqua
Catholica Romana Eccleſia, per hanc
quippe ſolam, quid & quomodo de DEO
credendum & ſciendum, per quid &
quomodo colendus, eiſque ſerviendum
ut, edocet ipſe Deus, ut fulius dicetur inſ:

cap. 1. Cat. 3. Ex quibus proin ultimâ conclusionem, anhelantem ad visionem Dei, æternamque Beatitudinem, Catholicum Romanum esse oportere: quare in tanto æternæ salutis negotio pro vera & segura animi quiete consequenter nobis studiosissimè & ante omnia indagandum est, quis sit verus Catholicus atque Christianus, & quænam ad talem requirantur? quare sit

Q. III.
quam ergo
profi-
teris fi-
dem?

Quæstio Tertia: *Quam ergo tu profite-
ris fidem?*

R. *Equidem Christianus sum atq; Catholicus.*

Benè, optimè: percepisti videlicet jam, in unica solâque Ecclesia Catholica infallibiliter doceri, quemodo & quid de Deo credi, quomodo & per quid coli, amarique debeat.

Vade No-
men Chri-
stianum?

Sed unde ipsum Nomen Christianum? Originem porrò hujus nominis si reperas, à Christo sumus & nuncupamur Christiani, ait S. Athanas: *Orat. 2. cont. Ar.* Eo quippe nomine appellabatur Dominus noster Iesus, quod græcum Latinè redditum, unctum significat, tum quia Regij & Sacerdotalis sanguinis, propheticæque dignitatis, tum maximè, quia Unguento Divinitatis unctus fuerat. *Pf. 44. v. 8.*

Quando hoc nomen impositum Christianis? ab ipsismet Apostolis, ut docet

Cornel.

Cornel. in act. 11. v. 26. Cum enim in primo Ecclesiæ exordio communibus vocabulis nunc appellarentur fideles. *Col. 1. v. 2.* Nunc Discipuli. *Act. 11. v. 26.* Nunc credentes. *Eph. 1. v. 13.* Nunc Fratres. *Matth. 23. v. 8.* Nunc sancti. *Rom. 1. v. 7.* Tandem aucto numero, ut discernerentur à Judæis & Paganis, Christiani dicti sunt, ac primum quidem Antiochiæ, in Ecclesia à S. Petro nuper erecta, operaque Pauli & Barnabæ valde aucta. *Anno Christi 43.* Ut videretur Baronio, *Anno post resurrectionem decimo.*

De hoc etiam nomine Chrys: *Hom. 18. in Joan.* ait: Uno omnes appellamur nomine præstantissimo, cum quo & Filij Dei, & amici, & corpus dicti sumus. Præclarum sanè Nomen, & Imperatorio, regiove augustius, si tamen opere teneatur, prout mox dicitur. Eo nomine Christiani maximè gloriabantur, seseque ad subeunda Martyria animabant.

Nomen Catholici, quod idem est ac Vnde Nomen Catholicum? Universale, eodem penè tempore ab ipsis quoque Apostolis ad discernendos Christianos institutum est, nempe Orthodoxos & veros, à falsis & Hæreticis, qui jam tum nascebantur; cum enim utrique sibi nomen Christiani tribuerent, soli illi dicti sunt Catholici, qui Ecclesiæ Christi, à qua isti defecissent, constanter adhærent.

rent. Unde in suo Symbolo Ecclesiam veram appellârunt Catholicam, ut hæc discriminatione ab hæreticorum conventiculis intelligeretur distincta; hæretici quippe nullo modo dici possunt Catholici, seu Universales, ut dicitur *Cap. 1. Cat. 3.* Prout S. Pacianus *Ep. 1. ad Sympron.* egregiè exponit, sed quid importet Catholicum & Christianum esse, nunc videndum.

Q. IV.
Quis dicendus
Christianus,
&c.

Quæstio Quarta: Quis dicendus Christianus atque Catholicus?

R. Qui baptismi Sacramento initiatus credit, & confitetur omnia, quæ antiqua Catholica Romana credit & confitetur Ecclesia, sive ea in scriptura expressè scripta sint, sive non sint. Canis.

Q. V.
Quæ requiruntur
ad Christianum?

Patent hinc requisita & oblatio Christiani, & Catholici, quare sit.

Quæstio Quinta: Quenam ergo distinctè requiruntur ad hominem Christianum atque Catholicum?

R. Tria hæc. 1. Ut sit baptizatus. 2. Ut credat omnia, quæ credenda præcipit sancta Mater Ecclesia. 3. Ut eadem palàm confiteatur: rationem singulorum sic reddere licet.

Cur Christianum
oportet
esse baptizatum?

Cur enim verò ut sit baptizatus? ita præcepit Christus: Ire, docete omnes gentes baptizantes eos. *Matth. 28. v. 19.* Ratio, quia verè Christianus dici & esse nequit, nisi in Christi familiam regeneratus,

at hoc non fit nisi per baptismum re aut voto susceptum. Vel ut quis sit Christianus, oportet esse de ovili Christi, quod est Ecclesia; at enim illam intrare non licet, nisi per januam baptismi: quo fit, ut à Christiano nomine, & consequenter ab hæreditate, bonisque Christi excludantur, pro dolor! Turcæ, Judæi, Paganique omnes.

Cur, ut credat omnia, quæ Catholica credit Ecclesia? ita quoque Salvator: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. *Marci 16. v. 16.* Crediderit inquam, quæ ipse per Ecclesiam docuerit. Ratio: Quia ad Christianum Catholicum non sufficit esse baptizatum, & credere in Christum, invocare Deum, sed insuper oportet credere omnia, quæcunque per Ecclesiam credenda præcipit Christus. Quæ quidem sunt plurima, eaq; duntaxat per Ecclesiam manifestata, uti jam insinuat. Crediderant in Christum & Deum, qui dixere: Domine, Domine; at quia non fecerant voluntatem Patris, non intrarunt in regnum Cælorum. *Matth. 7. v. 21. & c. 25. v. 11.* Sed cum hypocritis portionem suam acceperunt.

Hinc à nomine Christiano Catholico excluduntur omnes hæeretici, cum enim nec Catholicam Ecclesiam, nec ejus præ-

An Hæretici sunt Christiani, &c.

scripta audiant, credantur, non Catholici Christiani sed Ethnici, publicanique habendi sunt. *Matth. 18. v. 17.* Christianus non est, qui in Christi Ecclesia non est. *S. Cyp. l. 4. Ep. 2.*

Cur ut ea
palam
confitea-
tur?

Eccur, nisi ut eadē palam confiteatur? ita Paulus jubet: Corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. *Rom. 10. v. 10.* Quod dico vobis in tenebris, dicite in Lumine, & quod in aure auditis, prædicate super recta. *Matth. 10. v. 27.* Et qui me confessus fuerit. *Matth. 10. v. 32.* Ratio, quia Dominus Christus hanc quoque gloriam à servis suis desiderat, ut nec ipsum, nec ejus fidem ullatenus erubescant, sed palam potius & coram toto mundo, omnibusque inimicis cum ipsius quoque discrimine vitæ confiteantur. Et meritò; si enim nos infimæ sortis homines ab ijs, quos qualicūque affecimus beneficio, palam honorari prætendimus, illos quoque, qui prætextu quocunque nos erubescunt, inter amicos minimè reputamus, quantò magis Salvator hanc honorificæ confessionis legem suis indixit, ut qui illam multâ fame, siti, algore, æstu, penuriâ multâ, injurijs, verberibus, spinis, cruce denique mercari non dubitaverit? ejusmodi confessionis laudem & gloriam dedere Christo plurimæ Myriades Martyrum.

Tum

Tum quia hoc pacto fideles discernuntur ab infidelibus, nisi enim publicam quis fidei suæ confessionem fecerit, quam fidem in corde teneat, nunquam patebit. Solus quippe Deus videt in corde, homo autem in facie, quemadmodum nec scitur, quid artis in opifice, nisi ex symbolo seu instrumento, quod gestat, nec quid in domo venale, nisi ex hædera, quæ domui præfigitur, nec quam horam agat intus horologium, nisi foris index eam indigiter; ita nec quæ fides in homine, nisi per publicam confessionem, & signa externa manifestetur. Hæc igitur puncta & numeros, si quis expleat, procul dubio Christianus erit atque Catholicus.

Quæstio Sexta: *Sed num exinde bonus quoque erit Christianus atque Catholicus?*

R. Erit Christianus, sed non statim bonus.

*Q. VI.
Num exinde bonus &c.*

Ad hoc enim requiritur insuper, ut & Christianam Deoque acceptam agat vitam, id est, abstineat à vitijs, & Christi imitetur virtutes, sive ut Christi doctrinam non verbo tantum, sed opere quoque profiteatur. Non omnes, qui Christiano nomine veniunt, bonos & veros Christianos esse, testatur Paulus: Non omnes, qui ex Israël sunt, hi sunt Israëlitiæ, neque qui semen Abraham, omnes sunt filij. *Rom. 9. v. 6.* ita nec omnes, qui confi-

tentur Christum, veri Christiani sunt, illi videlicet, qui verbis fatentur Christum, factis autem negant, ideoque abominabiles coram Deo. *Tit. 1. v. 16.* Illi, qui nil nisi scelera loquuntur, crimina & flagitia in usu habent, pietatem & virtutem omnem ignorant.

Cujusmodi fictitij Christiani esse solent non hæretici tantum, à doctrina & sanctitate Christi penitus aberrantes, sed & omnes impiè, sceleratèque viventes Catholicici, qui quidem passim jactitant fidem, & altà voce, Christianus atq; Catholicus sum, declamant, pereant Hæretici, ajunt &c. sed hæc non nisi ebrij, aut in aliorum gratiam vociferantur, de quibus Augustinus *Serm. 38. de Sanctis*:

Nemo se falsâ spe circumveniat, quia non sola Christiani nominis dignitas facit Christianum, nihilque prodest, quod aliquis Christianus vocatur in nomine, si hoc non ostendit in opere, gladius videlicet (ut vulgo dicitur) non facit militem, nec vestis Monachum. Et S. Cypr. *Serm. de Zelo.* Induere nomen Christi, & non pergere per viam Christi, quid aliud, quam prævaricatio est Divini Nominis? Et Jacobus: Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? *c. 2. v. 14.*

Luculenter quoque Chrysost: *Hom. ad Pop. Ant.* Dic mihi, unde te putas Christianum? an à loco? an à veste? cibo? sermone? negotijs? non à loco, locus Christi templum est, tua autem frequentatio in platea, ludo, taberna: non à veste, quia indumenta vana cum luxu geris: non à sermone, quia perjurio & detractatione gaudes: non à negotijs, quia quæ tractas, plena sunt dolis, injurijs, quibus proximum circumvenire soles. Denique de his Apoc: Habes nomen, quod vivas, & ecce mortuus es. *c. 3. v. 1.* Similes arboribus aridis, aut folia tantum nutrientibus absque fructu, aut pomis crescentibus juxta mare mortuum foris rubicundis, intus sulphureis. Quapropter Charissimi, si veri & boni esse Catholici cupimus, hanc obligationem nobis incumbere sciamus, horrere vitia, sectari virtutes, dicere & facere, quæ Christum & Christianum decent.

RECAPITULATIO.

HÆc de nomine & essentia hominis Christiani atque Catholici summa est. (1.) Ad finem supernaturalem, id est, Beatitudinem æternam creati sumus. (2.) Quam effectivè consequimur per Dei cognitionem & cultum, juxta Ecclesiæ Ca-

tholicæ Romanæ præscripta. (3.) Quare ante omnia Christianum atque Catholicum esse oportet. Origo nominis Christiani, Apostolos tangit, sicut & Catholici. (4.) Est autem Christianus atque Catholicus, qui Baptismi Sacramento initiatus credit, & confiteretur omnia, quæ Catholica Romana credit & confiteretur Ecclesia. (5.) Unde ad talem tria requiruntur, ut sit baptizatus, credat corde, & palàm ore confiteatur, quæ Ecclesia, &c. (6.) Denique ad perfectam salutem Christianum bonum esse oportet, id est, declinare à malo, & facere bonum, &c.

EXHORTATIO.

Discimus
I. sæpius
pensare
finem, cur
vivamus,
&c.

Discimus hîc Charissimi primò ex fine ultimo, ad quem ex misericordia & Bonitate Dei creati sumus, seriò & sæpius pensare, nequaquam nos vivere in hoc mundo, ut fruamur bonis, edamus, bibamus, &c. sed ut toto corde, totâ mente, totâ virtute serviamus Deo, & post breviam annorum momenta ad vitam & Beatitudinem transeamus cœlestem; quare hujus consideratione nihil nobis accidat difficile, nil triste, nullius tædeat nos laboris. Leve sit omne onus præsens collatum ponderi æternæ gloriæ, nulla nos corrumpat terrenæ consolationis delecta-

lectatio, melior patria, quàm exilium, melior sanitas, quàm medicina, sapientia quàm studium, messis quàm aratio, portus quàm navigatio, victoria, quàm prælium, bona Coeli, quàm terræ, Deus, quàm creaturæ.

Discimus secundò strenuè exequi obligationem Christiani, id est, corde credere & ore confiteri doctrinam Christi, ejusque Ecclesiæ Catholicæ.

Discimus tertio, boni quoque esse Christiani, fugere detestari, quidquid vitiosum aut peccaminosum est, Christi; imitari virtutes.

Novit Dominus, qui sunt ejus, ut discedat ab impietate omnis, qui invocat nomen Domini. 2. Tim. 1. v. 19. Ut renuntiemus constanter Diabolo, & fugiamus opera tenebrarum, quemadmodum in ipso dudum baptismo, cum accepimus nomen Christiani, sanctè promissimus, juxta verba Ritualis, abrenuntias satanæ? abrenuntio, & omnibus ejus operibus? abrenuntio, &c. Unde & Aug: *Tr. de Symbolo*: Scito quòd renuntiasti Diabolo, & operibus ejus, non hominibus, sed Deo & Angelis consentientibus, tenerur in cælo chyrographum tuum, &c. Quotidie ergo semel saltem animo nobis reperamus: Abrenuntio tibi sathan, & omnib9

2. Exequi obligationem Christiani, id est, corde credere, &c.

3. Boni quoque esse Christiani.

pompis tuis, & adhæreo tibi JESU Christo, qui es via, veritas & vita, ut providè semper & timoratè fugiamus peccata omnia sive venialia sive mortalia juxta illud: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. *Tob. c. 4. v. 6. & Eccl. Quasi à facie colubri fuge peccatum. c. 21. v. 2.* Valdè notandâ similitudine, quâ denotatur omne, minimum etiam peccatum fugiendum, sicut enim minimum & vix natum colubrum (secus ac in alijs bestiis v. g. Lupulis, Leunculis) semper propter præsens periculum horrescimus, ita minima quoque ob sui malitiam fugienda sunt peccatilla; levia videlicet mendacia & jocosa, modici rancores, audaciores aspectus, raceo blasphemias, juramenta, detractiones, impudicitias, ebrietates, invidiam, &c. quæ nec nominentur in nobis.

Media quóque ad evadendum peccatum sunt adhibenda, memoria ubique & semper præsentis, omnia videntis & omnia punientis DEI, memoria Crucifixi, memoria novissimorum, auxilium Beatæ Virginis, aliorumque sanctorum, fuga occasionum, & quotidie renovatus in examine conscientiæ proficiendi conatus.

De-

Deinde imitandæ Christi virtutes, noménque Christianum convenientibus, id est heroicis condecorandum factis; ita Paulus cum cujuscunque conditionis & statûs monuisset homines de vita perfecta & verè Christiana, hæc subdit, ut doctrinam Salvatoris nostri ornent in omnib9. *Tit. 2. v. 10.* Et S. Bern. Christiani sicut hæredes sunt nominis, ita imitatores sine sanctitatis. *in Sent: ad Eph: 4.* Quid enim nomen Christi nobis repræsentat aliud, quàm pauperem, humilem, mansuetum, castum, sobrium, sanctum Salvatorem? At Christiani sicut hæredes sunt nominis, ita imitatores sint sanctitatis, ut sobriè, justè & piè vivant, cultui divino & orationib9 devotissimè addicti, in operibus misericordiæ assidui, humilitatis, mansuetudinis, omniumque virtutum tam Theologicarum, quàm Cardinalium expertissimi factores, &c. præcipuè verò in ijs sese exerceant, quæ magis ardua & heroica videntur, silere ad injurias, condonare ex animo contumelias, linguæ, oculis, corporisque sensibus & animæ passionibus vim inferre, defendere viduas contra potentiores, in competitione honoris cedere minori, &c. sic docere videtur Procopius *in c. 66. Is.* Ubi Christiani nominis appellationem coronam vocat, eo quòd ejus-

eiusmodi appellatio plus honoris & dignitatis asserat, quàm diadema regium. Juxta Is: Vocabitur tibi nomen novum, & eris diadema in manu Dei tuic. 6. v. 3. Quod si ergo nomen Christianum corona est, fac ut Christianis, heroicisque factis cœu ardentibus pyropis splendescat; corona non nisi regum caput, regiâque requirit facta, & nomen illud venerandum efflagitat animum charitate plenum, caput fide, rerumque Divinarum notitiâ instructum. Media erunt, considerare ipsum virtutis pondus meritum & mercedem, præcipuè consideratio vitæ & Passionis amantissimi Salvatoris nostri, unde amor excitatur, quo suave sit omne asperum, quo omnia sæva & immania propè nulla efficiuntur, &c. Concludo igitur, ne quæso charissimi, simus gratis & inutiles in hoc mundo, pudeat nos deteriori parti, & feci hominum accenseri, boni simus, optimi simus, feruentes, Zelosi simus, inter exempla simus; ut verè semper dicat quisque: Christianus sum atque Catholicus, acclamantibus omnib9, quia verè bonus est.

Denique tu O mitissime Deus cunctis errantibus, ut in viam redire possint justitiæ, veritatis tuæ lumen ostende, ijs verò, qui Christianâ jam professione censentur,

da & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea, quæ sunt apta, sectari, per Dominum, &c.

HÆRETICI.

HÆretici moderni Lutherani & Calvinistæ pro viribus laborant videri Christiani Catholici, sed non Romani; verum nullo modo Catholicos esse dicitur infra c. 1. in *expos. fus: Catechesis tertiæ.*

Sunt, qui eos è Christianorum numero etiam exturbent, etsi enim Christum noverint, non tamen modo, quo debent. Unde & pseudo-Christiani appellantur. *Matth. 18. v. 17.* Et S. Cypr: Quisquis ille est, & qualiscunque ille est, Christianus non est, qui in Ecclesia D i non est.

Nec refert, quòd Baptismo tincti sint, nam & ij, qui ad Judæos, Turcas aliòsve deficiunt, non Christiani, sed Judæi, Turcæ, Idololatræ censentur, &c.

HISTORIÆ.

S. Hieronymus coram crucifixo orans ab eodem rogarur, quis esset? respondit: Christianus sum. At Christus, mentiris: non Christianus, sed Ciceronianus es, (nempe Cicerone magis, quàm scripturâ & virâ oblectabatur Christi) subitòque flagellis percussus, tandem intercedentibus Angelis dimittitur, factâ priùs spon-
sione,

Christia-
nū opor-
tet imitari
Christū.

sione, se relictis poëticis, operam melioribus impensurum. *Aquil. l. 8. c. 32.*

Indus me-
mor se
Christia-
num iram
compes-
cuit.

Christianus quidam Indus in nova Francia ortâ controversiâ graviter à populari cæsus sensit in se exardescere choleram, incitarique ad vindictam, memor tamen se factum Christianum, quid agis? inquit, siccine baptismo tuo maculam infers? Nonne satius est hic adversario cessasse, quin imò omnium potius rerum jacketuram fecisse? nec mora ad Patrem, à quo baptizatus fuerat, festinans, medelam præsentis cordis malo poposcit. *Pædagog: c. 1. §. 2. exemp. 6.*

Inda mor-
tem sper-
nit.

Mulier Inda recenter baptizata atque à morbo invasa, cum à Medico juberetur bono esse animo, nullum apparere mortis periculum, conversa illa ad Confessarium, novitne homo iste me baptizatam? quare ergo me ita animat, & mortem non timere juber? quasi verò Deus mihi non sit Pater, nec vita mea in ejus posita arbitrio, Christiana sum, ille ergo Dominus ac Magister meus, gratum proin erit, quidquid mihi ab illo acciderit. *Ibidem Exempl. 80.*

MaliChristiani gravius torquentur in tartaro. S. Macarius Alex: ambulans per desertum, inveniensq; calvariam hominis illam adjurare cæpit, num sit hominis fidelis vel infidelis? cui calvaria, Pagani, inquit, sum,

& flammis æternis torqueor; quærenti autem ulterius Macario, num & ibi aliqui essent Christiani? Respondit, multos esse, multoque gravius toqueri, eo quòd gratiæ Christi, ac meritis ejus rebelles nomini Christiano difformiter vixerint. *In Vita.*

S. Sebastianus Mart. pectori suo tanquam gemmam pretiosam affixit verba hæc, Christianus sum, ut illo ad fortia quæque agenda & ferenda animaretur. *Sur. 20. Jan.*

S. Sebastia-
ni tessera
Christia-
nus sum.

S. Blandina V. & M. tantâ in Christo constantiâ firmata fuit, ut à prima luce usque ad Vesperam tormenta semper innovantes Carnifices victos sese faterentur, nempe quoties, Christiana sum, proclamavit, toties novæ vires corpori reddebantur, unde vox hæc sæpius iterata sensum doloris extinguebat. *Sur. 3. Maji, apud March. in Hort. Lect. 1.*

Et sanctæ
Blandinæ
Mart.

S. Calliopius M. ad Deorum convivia raptatus respondit se Christianum esse, & Christum jejunijs colere; quare diu excruciarus, inversoque demum capite crucifixus in ipsa die Parasceves audivit vocem, de Cælo: Veni civis Angelorum & cohæres Christi, eoque mox animam reddidit. *Sur. 7. Apr.*

Et S. Cal-
liopi M.

Boleslaus
effigiem
Patris è
collo &c.
ita & nos
Christi.

Boleslaus quartus Rex Poloniæ Patris effigiem auro expressam, atque è collo pendentem circumferebat, impressoque osculo, quoties dicendum, omittendumque aliquid occurreret, sic affabatur: Absit mi Pater, ô absit, ut à me unquam aliquid regio tuo nomine indignum statueretur. Imitemur intuentes aut amplexantes quandoque Christum Crucifixum.
Caus. in aul. san. c. 1. mot. 2.

S. Agatha
nomine
Christiani
gloriatur.

Quintianus Siciliae Prætor probrosè ad sanctam Agatham dicebat: Non te puder nobili genere natam humilem & servilem Christianorum agere vitam? Cui illa: Multò præstantior est Christiana humilitas & servitus, Regum opibus & superbiâ. *Brev. 5. Febr.*


Origo Re-
gis Chri-
stianissimi

Nomen Christianissimi Carolo Magno Regi Galliae primùm pro maximis in Ecclesiam meritis collatum, dein ad posterum quoque propagatum.

Regis Ca-
tholici.

Nomen verò Catholici Regibus Hispaniæ attributum, quando in Concilio Tolet: Anno 638. Præsidente Episcopo Narbonensi Sylva Rege cum Primoribus consentiente, cautum anathemate esset, ne quis deinceps Rex Hispaniæ inauguraretur, priusquam jurejurando sese obstrinxisset, daturum se operam, ne quis nisi Catholicus in regni jura, habitationemque

que admitteretur, secùs si faxit, esset anathema maranatha in conspectu DEI, & pabulum efficeretur ignis æterni, simulque cum eo damnatione percellerentur, quicumq; Sacerdotum, vel quorumlibet Christianorum ejus implicati fuissent errori. Baron: Anno 638. apud Pæd: citat:



C A T E C H E S I S

PROEMIALIS II.

De externa fidei Confessione,

& signis hominis Christiani atque
Catholici.

SUMMA QUÆSTIONUM.

1. *Anne ergo non sufficit Christiano, fidem in corde tenere?*
2. *Quibus ergo signis cognoscitur quis Christianus atque Catholicus?*
3. *Unde nosti primum signum esse sanctam Crucem?*
4. *Quæ alia habentur fidei protestativa?*
5. *Quoties & quando palam profitenda est fides?*
6. *Anne ergo nunquam licet negare fidem?*
7. *An nunquam licet hæreticam profiteri, aut simulare fidem?*
8. *An omnia cum hæreticis devitanda sunt comèrcia tam politica, quàm spiritualia?*